

Heinrich Breitenbücher

De Aquae Frigidae Viribus Et Usu Medico : Dissertatio Inauguralis Medico

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXLIV.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010757644>

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

1844

ARCHIV

ALPHABETIC LIST

OF THE MEMBERS

OF THE SOCIETY

FOR THE IMPROVEMENT OF THE

TECHNICAL EDUCATION

OF THE PEOPLE

OF GREAT BRITAIN

AND IRELAND

1851

LONDON

PRINTED

DE
AQUAE FRIGIDAE
VIRIBUS ET USU MEDICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
AUCTORITATE ET CONSENSU
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

Henricus Breitenbücher,

ROSTOCHIENSIS.

ROSTOCHII.
TYPIS ADLERIANIS.
MDCCCXLIV.

AQUAE FRIGIDAE

PREPARATIO ET USUS MEDICUS

LIBER PRIMUS

DISPOSITIO

(faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page)



Prooemium.

Quum ita sit lege constitutum, ut, si quis ad medicinam faciendam aspirat, is, rem aliquam, quae ad artem medicam pertineat, accuratius pertractando doctrinae suae specimen proponat, mihi, qua in quaestione vires tentarem, circumspicienti, non ineptum visum est, illum, qui nunc in omnium ore versatur, aquae frigidae in morbis sanandis usum paulo diligentius perlustrare. Sicut enim non desunt, qui aquam frigidam solam tanquam omnium medicamentorum summum et saluberrimum praedicent, reliqua non solum rejicientes, verum etiam veneni instar fugienda existimantes, ita haud parvus eorum est numerus, qui parum omnino aquae tribuant, eamque per se solam, nisi alia remedia simul adhibeantur, sufficere vix unquam arbitrentur. Harum quidem sententiarum utramque pariter a vero aberrare, atque ita semper medicum aegrorum saluti optime

consulturum, si, neque aquam, neque alia remedia nimio studio complectens, illud unum potissimum spectaverit, quid morbo cujusque et statui maxime videatur conducere, intellectu non est difficile. Ad illud autem recte dijudicandum ea mihi via ferre visa est, eamque sum ingressus, ut, qui sint aquae variorumque eam adhibendi generum effectus physiologici, quantum fieri potest, exactius cognoscere studerem, quoniam, quo quisque hos melius indagaverit, tanto semper perfectius, quando aqua utendum sit, quando non utendum, perspiciet.

Quod neque apparatus et artificia in diversis aquam adhibendi generibus diligenter descripsi et illustravi, neque historiam copiosius pertractavi, id eo magis spero excusatum iri, quia et de illis artificiis in magno librorum numero lautius exponitur, et ea quoque, quae ad historiam pertinent, a nonnullis jam scriptoribus collecta sunt ¹⁾.

¹⁾ V. Hirschel *Hydriatica oder Begründung der Wasserheilkunde auf wissenschaftliche Principien, Geschichte und Literatur.* Leipzig 1840.

Sectio prima.

De variorum aquam frigidam adhibendi generum effectibus physiologicis.

Quomodo corpus aqua frigida afficiatur, expositurus, a
potione faciam initium.

1) Primum, postquam aquam bibimus, frigoris in
pharynge et ventriculo sensus exoritur, qui ex illis ipsis,
quae aqua tanguntur, nervorum membranae mucosae
partibus mox ad medullam spinalem et cerebrum propa-
gatur eundemque per totum corpus sensum excitat.

2) In ventriculo aqua chymo admixta, hunc fluidiorem
mollioremque reddit, unde fit, ut succus gastricus undique
facilius eum tangere ac penetrare possit. Fuerunt, qui
succum gastricum, si aqua accesserit, nimis dilui atque ita
vim ejus in cibis digerendis minui contenderent. Sed
recentioribus temporibus physiologi experti sunt, etiamsi
haud mediocriter succus gastricus dilutus fuerit, tamen
vix quidquam de viribus ejus detrahi. Ac si quid detra-
heretur, id haud scio an ea re compensari posset, quod
simul major hujus succi copia effunditur. Neque enim me
falli putaverim, si, quod in ceteris nervis et secretoriis
et motorii evenire solet, ut actio eorum frigore primum

oppressa, mox vehementius revertatur, idem tum in glandularum mucosarum ventriculi nervis fieri statuam, tum eandem ob causam, (id quod aliam, cur cibi perfectius digerantur, rationem suppeditat) musculos ventriculi ad motus frequentiores compelli. Viribus autem illis aquae diluentibus apparet ea quoque damna, quae ex acore nimio, nimia mucis bilisque copia, e venenis denique oriuntur, deleri posse.

3) Vasa porro capillaria coartantur et sanguis ex iis reprimitur, brevi autem denuo atque etiam majori, quam antea, vi affluit, unde intelligitur, quomodo si aqua nimis gelida pota fuerit, etiam gastritis sequi possit. Simile quiddam in nervis sensitivis evenire, ideo conjiciendum videtur, quia, si aqua bibatur, ciborum appetitus excitatur, vel, ubi jam fere erat expletus, revocatur. De origine enim hujus appetitus quamvis non omnes consentiant, ¹⁾ plerique tamen proprio cuidam nervorum sensitivorum gastricorum statui eam tribuunt.

4) Ad intestina tenuia et crassa qui aquae effectus extenduntur, magni quidem non erunt momenti, quum secundum Magendie aqua, eodemque modo reliquorum fluidorum nonnulla maxima ex parte jam in ventriculo a vasis lymphaticis imbibantur. Si qua autem pars in intestina transierit, quum aqua diutius in ventriculo commorata frigoris haud parvam jacturam fecerit necessarium videatur, vim hujus partis equidem opinor potissimum in chymo diluendo emolliendoque esse positam,

¹⁾ V. Müller Physiologic. Bd. I. S. 482.

atque hac re, simul autem vehementiori musculorum ventriculi contractione ad intestina propagata effici, ut alvi dejectio aquae potionem, imprimis si matutino tempore fiat, incitetur.

5) Aqua per vasa lymphatica e tractu intestinali in sanguinem translata, hujus serosis praecipue partibus incrementum addit, quanquam corpuscula quoque ejus mutari ideo verisimile est, quod extra corpus et tingens horum materia, et corpuscula ipsa, nucleis solum exceptis, aqua dissolvuntur ¹⁾.

6) Postremo illud observamus, ad urinam copiosius excernendam aquae potionem multum facere, quum, quo major ejus copia sanguini fuerit admixta, eo largior renibus secernendi materia praebetur.

Ex iis vero, quae attuli, aequae apparet, quae incommoda oriri possint, si perperam et immodice aquae potus fuerit adhibitus.

1) Inde, quod aqua tum non imbibitur, sed tanquam alienum corpus remanet, eadem symptomata existunt, quae alios cibos nimis copiose sumptos sequi solent, oppressio in regione epigastrica, vomiturius, postremo vomitus vel diarrhoea, prout ventriculus aut per os, aut per anum onere suo se liberare conatur.

2) Nervi sensitivi hebetantur atque in torporis et atoniae statum rediguntur.

3) Si adsunt vitia organica, tumores praesertim, hi premuntur, contrahuntur et condensantur, id quod in plerisque, imprimis scirrhis, evitandum est maxime.

¹⁾ V. Müller Phys. Bd. I. S. 109 und 110.

4) Si gelidior aqua sumpta fuerit, nimium sanguinis affluxum atque etiam gastritidem sequi posse, jam antea dixi.

5) Sanguis potest supra modum dilui et aquosus reddi, atque omnia, quae cum hac conditione naturaque juncta sunt incommoda, in lucem prodire.

Haec de interno aquae usu; jam ad externum explicandum me convertam ac primum de lotionibus frigidis variarum corporis partium loquar.

Agunt autem lotiones istae frigidae ita: existit in loco tacto frigoris sensus, vasa capillaria coartantur, percipiendi in nervis facultas hebetatur, muscoli et tela cellulosa contrahuntur. Telae cellulosa contractio maxime cernitur in scroti illa, si frigori expositum fuerit, corrugatione, neque minus in cute sic dicta anserina (hujus enim sedes in tela cellulosa folliculos sebaceos circumdante videtur esse ¹⁾), quanquam fuerunt, qui sebi ipsius refrigerationi et coagulationi eam tribuerent.) Sed mox vasa capillaria dilatantur, rubor et calor adauctus, omnia denique majoris, quam in reliquo corpore, actionis vitalis signa apparent. Atque hac vi excitante imprimis lotionum effectus continentur.

Similiter omnia in balneis se habent, quae per breve tempus alicui corporis parti, manibus praesertim et pedibus applicantur, nisi quod haec viribus lotiones superant ideoque magis retrahendo ab aliis locis, praecipue

¹⁾ Müller Phys. Bd. II. S. 26.

capite, sanguini inserviunt. Sin per longius tempus usurpentur, prorsus aequae, ac frigida epithemata, de quibus mox loquar, in antiphlogisticorum numerum cadunt.

Alia balnearum partialium genera sunt balnea dimidiata (Halbbäder) ubi corpus nonnisi ad abdomen usque, et insessus, ubi nates, organa genitalia externa, inferior denique abdominis pars, in aquam immerguntur. Horum quoque generum utrumque, si per breve spatium applicetur, tanquam excitans sanguinis in vasibus abdominis circuitum auget, ac, si tumores haemorrhoidales adsunt, hos, ut fluant, adigit. Sin per longius spatium usurpentur, facile, insessus inprimis, sanguinem reprimendo et nimium ejus versus cerebrum affluxum provocando nocent plurimum. Eam ob causam, ut breviores insessus frequenter sunt salubres, ita a longioribus equidem duco abstinendum vel certe rarius et cautius iis utendum, eo magis, quia in variis malis, in quibus isti commendantur, e. g. in viscerum abdominalium inflammationibus, epithemata frigida antiphlogistica vix iis fuerint inferiora.

Epithematum frigidorum secundum adhibendi duplicem modum effectus quoque discrepant. Aut enim, simulatque incaluerunt, renovantur, ita ut locus, cui imposita sunt, nunquam frigore tangi cesset, quo quidem genere medici jamdudum contra inflammationes usi sunt, quod autem praeterea ad nimium nervorum sensitivorum erethismum, v. c. in neuralgiis, opprimendum efficacia insigni praeditum est, aut, (quae methodus a Priesnitzio videtur originem ducere) linteam aquae immersum, tum

autem magis minusve exprimendo ea liberatum et sicco linteo vel lana tectum, diutius sine mutatione, quamvis incaluerit, impositum manet. Quum ita aqua minus copiose suppeditetur, neque saepius renovetur, effectus ejus depressivus et minor et brevior est; linteum potius mox eundem, quem cutis, calorem assequitur. Atqui quum glandularum sudoriferarum secretum propter impeditum aëris aditum retineatur, linteis autem calefactis semper denuo eliciatur, guttarum sudoris forma in superficie corporis praecipitatur. In sanguinis igitur circuitu, cutis calore et diaphoresi augendis propriae istorum epithematium vires continentur. Hae quanquam proxime ad cutem pertinent, tamen per sympathiam (simili modo, atque hoc in epithematibus antiphlogisticis fit, v. c. in encephalite) ad interiores quoque corporis partes propagantur istasque excitantis remedii modo afficiunt.

Injectiones et clysmata frigida primum vi sua contrahente ac condensante laxitati partium iis tactarum, praecipue membranarum mucosarum resistunt et nimiam illam, quae e glandulis earum effunditur, mucii copiam tonici instar minuunt, eademque ratione vasa contrahendo haemorrhagias, ex utero inprimis vel intestino recto oriundas sedant. Secundario autem effectu stimulum vitali actioni addunt, eo magis, quia vehementia quadam locum, in quem diriguntur, contingunt. Apparet ex his omnibus, quomodo injectiones frigidae nonnunquam congestionem inflammatoriam, atque etiam, (quamquam hoc rarius) organica in tunicis mucosis vitia, ut indurationes scirrhos-

que provocare, aut, si jam antea haec mala exstiterint, ea augere queant.

Balnea universalia. Quum in his tota corporis superficies aquae exponatur, effectuum quoque et primariorum et secundariorum series hic latissime extendetur. Atque illa quidem series haec symptomata offert: frigoris et horroris sensus oritur, cutis corrugatur, sanguis ad interiores partes repellitur, unde tum respirandi facultas opprimitur, tum pulsus retardatur. Sed fere jam in balneo ipso, nisi infirmior sit natura, vis secundaria incipit ac, si tum balneum relinquatur, perfectius excolitur; cutis rubescit, incalescit, totum corpus quasi recenti quadam vita ac robore perfunditur. Si vero non relinquatur, omnia illa depressionis signa in majorem gradum everta revertuntur et algor imprimis vehementior percipitur.

Prosunt igitur balnea frigida partim eo, quod corpus saepius consulto caloris in frigus mutationi subjectum assuefaciunt, ut huic, si forte vel invito accidat, facilius resistere possit, partim totam reagendi facultatem frequentius exercendo firmant, postremo, ubi cutis laxitate quadam seu atonia laborat, majorem ei tonum tribuunt. Quae aquae pars in balneo resorbetur, ea vix ulla, vel certe minima, videtur esse ¹⁾.

Nocere possunt balnea frigida sanguinem nimis versus internas partes, cerebrum maxime et thoracis organa repellendo, praesertim si jam antea plethorae in iis indoles

1) Mitscherlich Lehrb. d. Arzneimittel. Bd. I. S. 361.

exstiterit, nec non, quum tam cordis contractionem, quam respirationem opprimant, ab iis sunt evitanda, apud quos in his functionibus aliquid laesum est; imminet enim talibus suffocationis periculum. Porro ubi propter nimiam cutis teneritatem vix ulla frigoris impetum superandi facultas adest, balnea frigida, si minus nocebunt, tamen utilitate sua propria omnino erunt destituta.

Singularis est methodus illa a Priesnitzio primum adhibita, ut aeger, stragulis laneis arcte circumvolutis ad copiosam sudoris effusionem adactus, in hoc ipso statu in balneum frigidum immittatur, vel saltem, quod alii praeferunt, aqua frigida lavetur. Quae agendi ratio quemadmodum utilitatem non ita magnam, ita periculum haud mediocre mihi videtur posse afferre, quum, quae quantaque saepe incommoda diaphoresin subito oppressam sequantur, satis constet.

Lotiones frigidae, balneorum in ceteris rebus similes, leniores sunt et intensitate inferiores, quamobrem hominibus infirmioribus melius conveniunt, nec non corpori ad balnea praeparando inserviunt.

Sequuntur illae, quibus Priesnitzius primus frequentiore usum aperuit, quanquam mentionem earum apud scriptores jam diutius antea fieri reperimus ¹⁾, totius corporis in lintea, vel stragula lanea, quae aqua imbuta et tum exprimendo magis minusve ea liberata sunt, involutiones, cum quibus simul copiosior aquae potio conjun-

¹⁾ Lucas essay on waters. Lond. 1756.

gitur. Effectus autem harum ita se habent, ut, quo modo supra explicavimus in parte aliqua per epithemata excitantia, eodem hic in tota corporis superficie sanguinis affluxus existat, glandulae sudoriferae ad largiorem secretionem stimulentur, sudor denique propter aërem seclusum copiose in cute praecipitetur.

Excellit haec diaphoresin provocandi ratio eo, quod non, ut in plurimis remediis pharmaceuticis hoc consilio suppeditatis, violentior quaedam in systemate vasculoso commotio et turba sudori antecedit. Nihilominus caute semper involutionibus erit utendum, quum non desint status ejusmodi, quibus nullo pacto convenient, si scilicet cutis aut erethismo laborat aut atonia tanta, ut reagendae ac sudorem effundendi facultate omnino careat, quia, ubi hoc acciderit, non solum omnia commoda deficient, sed incommoda propter tam diuturnam frigoris impressionem metuenda erunt haud mediocria.

Diaphoreseos ita provocatae in morbis sanandis usus idem est, qui in reliquis diaphoreticis; ut tum ea mala, quae ex oppressa secretionem cutanea prodierunt, haec restituenda, tum multa alia antagonisticè derivatione ad superficiem corporis facta leventur, ut fluida hydropica excernantur, vasorum denique lymphaticorum actioni stimulus addatur. Num in dyscrasiis materiae morbosae corpori insitae una cum sudore ejiciantur, hoc quidem nondum satis constat; medicamenta diutius copiosiusque sumpta hac via eliminari, v. c. sulphur, hydrargyrum, iodum, experientia docuit; quod eo minus alienum apparet

quia alias quoque simile quiddam circa remedia complura, imprimis camphoram, moschum, sulphur etc. fieri observatum est 1).

In superfusionibus atque dejectoriis (ut ita exprimam germanum vocabulum Sturzbäder) frigidis, quae in eo constant, ut in aegrum vel ex humiliore loco aqua semel pluriesve effundatur (in superfusionibus), vel altius subito in eum dejectiatur (in dejectoriis), frigoris impetu repente vehementer vita deprimitur et systema nervosum commovetur, simulque sequitur eo intentior totius organismi reactio. Itaque haec methodus in magno torporis statu excitans praebet efficacissimum et repentina illa nervorum commotione propriam quandam in iis mutationem provocat, cujus vera natura et indoles cognitionem nostram fugit, quam autem in variis neurosis utilissimam se praestare, negari nequit. Minus alte decedentes ac citius se sequentes, diutius denique continuatae superfusiones balneorum se habent similis.

Non multum, quoad vires, a superfusionibus discrepant illae, quibus Dupuytren primus contra choream usus est, immersiones (Tauchbäder), ubi iteratis vicibus totum corpus, capite non excepto, sub aquam demergitur et talia balnea per longius temporis spatium continuantur.

Balnea cribraria (Staubbäder) et pluviararia (Regenbäder) eo tantum inter se discrepant, quod in cribrariis per subtiliora foramina tenuiores, in pluviarariis per

1) Sobernheim. Arzneimittellehre 1ster Th. S. 74.

ampliora crassiores aquae radii deferuntur. Vires utriusque generis in excitatione continentur, quam quidem frigoris stimulo maxima ex parte tribuerim; mechanica enim vis (sit venia verbi) hic minus mihi videtur valere. Sed tanto majoris haec momenti est in siphonariis (ut ita illud balneorum genus, quod Douchebad appellatur, vertam) et stillicidiis (Tropfbäder). Per vehementiam, quaecumque ista in corporis aliquem locum appelluntur, primum doloris sensus nascitur, tum nervi sensitivi hebetantur, motuum voluntariorum facultas tollitur. Sequuntur impressionem balnei omnia effectus secundarii symptomata in majorem gradum, quam in ulla alia aquam adhibendi ratione, evecta. Atque haec vasorum nervorumque, praecipue quidem in loco tacto, hinc tamen in reliquas quoque partes transiens vehemens excitatio potissimum siphonariorum stillicidiorumque constituit virtutem. Sed quo vis intentior, eo minus majori eandem infirmitati atque erethismo sive universali, sive partiali accommodatam esse apparet eoque cautius in applicandi tempore agendum, quoniam, si hoc nimis extendatur, e nervorum actione supra modum depressa ac debilitata facile convulsiones, animi deliquium et alia symptomata nascentur.

Sectio secunda.

De aquae frigidae in morbis variis usu.

Postquam in iis, quae antecedunt, singularum aquam adhibendi methodorum effectus physiologicos explicavi, jam de ejus in morbis usu nonnulla addam. Ingrediar hic eam viam, ut illos tantum morbos, in quibus veram ac manifestiorem utilitatem aqua mihi videtur asferre, enumerem et quo eam in singulis modo usurpandam ducam, breviter significem, quum una firma et stabilis quodque malum oppugnandi ratio non magis si aqua, quam si alia medicamina ei opponantur, servari possit, sed pro aegri natura statuque varie semper debeat immutari.

Sunt autem inter eos, de quibus hic loquar, morbos complures, ubi inter remedia aqua jamdudum locum non spernendum occupavit, de viribus ejus omnes consentiunt, quo denique tempore ac modo ea utendum sit, sufficienter a scriptoribus est expositum. In his eam ipsam ob causam facilius excusabitur, si fuerim brevior et nonnisi pauca notaverim. Pertinent huc phlogoses, hydrocephalus acutus, angina membranacea, scarlatina, haemorrhagiae, blenorhoeae, typhus, paralyses, asphyxia.

Phlogoses.

Epithematum frigidorum antiphlogisticorum vetus est usus, quamquam in nonnullis praeter reliquas phlogosibus, ut in encephalite. Putaverim vero equidem non alienum, eundem latius ad alias quoque phlogoses, (inter ophthalmias tamen nonnisi ad traumaticas) extendi. Praeterea excitantia epithemata atque involutiones et derivationi, et diaphoresi inservierint. Num autem aqua sola, sine ulla sanguinis evacuatione, antiphlogosi sufficere queat, hoc, certe ubi gravius institerit periculum, valde in dubium vocarim.

Hydrocephalus acutus.

Hic non minus epithemata frigida in stadio inflammatorio jamdiu a medicis sunt usurpata. Superfusiones frigidae in stadio exsudationis primum praecipue a Formey laudatae eam laudem jam saepe eventu suo confirmarunt¹⁾. Addendae fuerint involutiones largioris diaphoreseos provocandae causa, nisi nimia aeger infirmitate laboret.

Angina membranacea.

Effectus superfusionum, quas hic primum Harder²⁾ in stadio exsudationis membranosae, si emetica aegrum non levant, faciendas commendavit, partim in actione vitali admodum debilitata excitanda, partim in stimulo musculis

¹⁾ V. Schmidt's Jahrb. d. Med. Bd. XXXVI. S. 321 — 324.

²⁾ Verm. Abhandlungen aus d. Geb. d. Heilk. v. pract. Aerzten in Petersburg. 1ste und 2te Abtheil.

respiratoriis ad membranae ipsius ejectionem addendo constant. Praeterea recentioribus temporibus in stadio quoque inflammatorio tum involutiones totius corporis, tum epithemata excitantia in collum laudata sunt, quae num remediis antiphlogisticis plerumque in auxilium vocatis effectum praestent, vel tantum valeant, ut istis omnino carere possimus, adhuc non audeo certo dijudicare.

Scarlatina.

Et in scarlatina, et in aliis morbis cutaneis acutis, v. c. in variolis, si exanthematis eruptio retinetur, magnus autem calor et siccitas cutis simulque febris vehementior adest, lotiones frequentiores, vel magis etiam involutiones frigidae (sed haec rarius renovatae, ne noceant potius) mirum quantum prosunt. Non minus in scarlatina septica harum methodorum utraque febris intensitatem caloremque mordacem valde temperat ac diaphoresin provocat. In scarlatina denique nervosa ad exanthema, quod hic saepius omnino evanescit, denuo eliciendum superfusiones a Currie ¹⁾ primum commendatae insigne praebent remedium. Sunt praeterea, qui his superfusionibus etiam contagium scarlatinae in prima statim origine extinguendi vim tribuant ²⁾.

¹⁾ Ueber die Wirk. d. kalten u. warmen Wassers in Fiebern und andern Krankh. Th. 1 und 2.

²⁾ Frölich, Abhandl. v. d. sichern und schnellen Wirkung der Uebergießungen und Bäder u. s. w. Wien 1820, S. 149 u. 150.

Vid. porro de aquae frigidae in scarlatina usu:

Kolbaun über den Nutzen des lauen und kalten Waschens in Scharlach. Petersb. 1808.

Haemorrhagiae.

Ad haemorrhagias violentiores sistendas aqua praecipue quidem in vulneribus vasa sanguinem effundentia contrahendo facit, tum vero in haemorrhagiis ex interna aliqua parte oriundis forma formentationum frigidarum in eum, qui illi respondeat, superficiei corporis locum applicatorum, v. c. in pectus contra haemoptysin, vel injectionum frigidarum cum fomentationibus conjunctarum, v. c. in haemorrhagia uteri. Postremo jam a Galeno aquae frigidissimae potio, ab aliis epithemata gelida in scrotum imponenda, ita in epistaxi (van Swieten ¹⁾) et haemoptysi (Lieutaud) ad sanguinis fluxum coërcendum commendata sunt. Mentionem porro hic faciam lotionum fomentationumque frigidarum contra vasorum dilatationes in auxilium vocatarum. In varicibus videntur augenda in tunicis venarum contractione, in aneurysmatibus sanguinis potius coagulatione in sacco aneurysmatico efficienda prodesse.

Blennorrhoeae.

Blennorrhoeis urethrae ac vaginae accommodatae sunt injectiones frigidae, epithemata excitantia organisi genitalibus imposita, fluori albo praeter haec fortasse glomeruli lintei humidi frequentius in vaginam illati atque diutius in ea relictis. Ab incessibus vero longioribus propter incommoda eorum jam supra enumerata putaverim absti-

Erhard über d. äusserl. Anw. d. kalten Wassers in Scharlach. Nördlingen 1824.

¹⁾ Comment. t. IV. §. 1200.

nendum. — In ophthalmoblenorrhoeis frigus cautissime applicandum est, ne dicam, omnino evitandum.

Contra pollutiones frequentiores cum magno organorum genitalium crethismo conjunctas, lotiones frigidae pluries die repetitae, non tamen ita, ut propius ad dormiendi tempus accedant, epithemata excitantia genitalibus regionique sacrali admota, insessus breves, postremo balnea universalia ea sunt remedia, quae praeter alia spem boni eventus praebent.

Typhus.

In febris continua aquam frigidam bibi jam Celsus ¹⁾ et Galenus volunt; superfusiones frigidae autem primum a Wright, et post hunc a Currie ²⁾ tentatae sunt, ac senioribus temporibus, quam earum utilitatem hi viri in ipso summi discriminis statu observarunt, eandem medici expertissimi haud pauci, Hirsch ³⁾, Mylius ⁴⁾, Horn ⁵⁾, Froelich, ut de multis aliis taceam, confirmarunt. De apto superfusionum loco ac tempore pluribus verbis in libris illis, quos modo nominavi, disseritur; illud tantum adjiciam, non solum ubi magna febris intensitas, cutis calor siccitasque, deliria denique exstant, effectus eorum in lucem prodire nullo modo speratos ac paene divinos, sed tum etiam, quum jam aeger sudoribus viscidis colliquativis tectus et sopore profundo captus jacuerit. Involutionibus

¹⁾ De med. lib. III. cap. 7.

²⁾ Ueber d. Wirk. d. kalten und warmen Wassers. Thl. I u. 2.

³⁾ Horns Archiv. Bd. IV. Heft 1. Nr. 3.

⁴⁾ Verm. Abh. a. d. Geb. d. Heilk. v. pr. Aerzt. in Petersb. 1821.

⁵⁾ Erfahr. üb. d. Heil. d. anst. Nerven- u. Lazarethf. Berl. 1814.

autem superfusiones anteposuerim, tum quia illarum effectus propter nimiam aegroti infirmitatem facile deficiunt, (quod si acciderit, nocebunt plurimum) tum quia superfusionibus systema nervosum valde in actionibus suis debilitatum repentiùs et fortius commovetur.

Contra infectionem etiam typhi corpus muniri posse, si lotionibus seu superfusionibus frigidis subjiciatur, vel si glacie et nive fricetur, nonnulli contenderunt, ea opinione ducti, una cum nervorum sensibilitate contagii quoque recipiendi facultatem hebetari ¹⁾.

Paralyses.

Affusiones et dejectoria in paralysibus laudantur a van Swieten ²⁾ et Floyer ³⁾. Optime iis conveniunt vel siphonaria sensim fortiora, in eam, quae paralysi laborat, partem adhibita, vel, si ad interna organa hoc malum pertinet, aliae quaedam propriae methodi, v. c. si ad vesicam, injectiones frigidae et regionis hypogastricae fomentationes ⁴⁾, si ad sphincterem ani, insessus breves.

Asphyxia.

Satis hic notae sunt superfusiones universales et stillicidia in scrobiculum cordis delabentia, vel, ubi e congelatione asphyxia orta est, aegri in aquam gelidam sive nivem immissio.

¹⁾ v. Hildenbrand üb. d. ansteck. Typhus. Wien 1810. S. 276.

²⁾ Comment. t. III. § 1069.

³⁾ Psychrolusia p. 212, 456.

⁴⁾ Richters chirurg. Bibl. Bd. IV. S. 178.

Accuratio aquae effectuum in his, quae attuli, malis explicatio ex iis, quae supra de singulis eam adhibendi rationibus dixi, poterit derivari.

Sequuntur jam ii morbi, in quibus aquae usus recentior est, vel adhuc minus vulgatus.

Apoplexia cerebialis.

Post venaesectiones et cum his conjunctas frigidas in caput fomentationes experientia docuit aptissime sequi superfusiones, quae cerebri actionibus per sanguinis accumulationem extinctis novum stimulum subjiciunt.

Ulcera et gangraena.

Quanquam in his semper praeter reliqua omnia contra eam causam, quae, ut ulceratio vel gangraena oriatur, efficit, sive haec in certa quadam dyscrasia, sive in virium vitalium debilitate sedem suam habeat, erit pugnandum, tamen conjunctus cum remediis huc tendentibus externus quoque aquae usus, si aditus ei ad locum affectum patet, jam a notissimo illo hydrotherapiae praecone Hahn¹⁾ laudatur et mihi aequè haud sane videtur spernendus. Inter ulcera autem sunt praecipue chronica et atonicam indolem prae se ferentia, in quibus haud scio an aqua frigida, epithematum excitantium nec non balneorum par-

¹⁾ Unterr. v. d. wunderb. Heilkr. d. kalten Wassers. Herausg. v. Oertel. Ilmenau 1833. S. 76 u. 77.

tialium brevium forma, tum quod purificationi et detersioni maxime favet, tum quod vitalem in ulcere actionem fortius irritat, neque vero, ut remediorum externorum plerumque adhibitorum multa, nimis irritando nocet, reliquis topicis omnibus sit anteposenda.

Eadem epithemata excitantia atque balnea partialia breviter tum etiam, si gangraenae incipientis signa apparent, (nam si jam ad majorem perfectionem progressa fuerit, neque per aquam, neque ulla omnino via mortua in vitam revocari posse, ultro intelligitur) erunt usurpanda.

Siphonaria quoque localia contra ulcera atonica et gangraenam commendantur, sed moderationem semper magnam et cautionem, inprimis in gangraena, requirent.

Morbi cutanei chronici.

In hoc morborum ordine, praecipue in lichene, herpete, eczemate, impetigine, psoriasi, propria illa interna causa, cujus hae eruptiones fere sunt symptomata, potissimum est indaganda, et quae ad hanc removendam maxime ferre videatur, sive hydrotherapeutica sit, sive pharmaceutica, via ingredienda. Addentur autem magna saepe cum utilitate, vel, ubi malum e cute ipsa propter cryptarum sebacearum seu glandularum sudoriferarum secretionem impeditam trahit originem, per se fortasse solae sufficient involutiones in lintea seu lanea expressa aut universales, aut locales, partim cutis secretionem restituenda, partim fortasse cum sudore eas materias e sanguine eliminando, quae morbum cutaneum procrearunt.

Hydrops, arthritis, scrophulosis.

Quum hi quoque morbi primam radicem fere in functionum systematis chylopoëtici anomaliis habeant, ut illa evellatur, ante omnia laborandum esse, patet, quamquam in hydrope quidem hic conatus saepe erit irritus, quoniam isti saepissime viscerum abdominalium organica vitia subjecta sunt; ac nihil tum supererit, nisi ut secretionibus augendis de fluidi hydropici copia aliquid detrahere tentemus. Cui indicationi haud scio an involutionses humidae perfectius ac minore cum detrimento satisficiant, quam diaphoreticorum et diureticorum plerumque hoc consilio porrectorum acriora atque efficaciora. Quod vero Hahn ¹⁾ suadet, ut in hydrope aqua copiosius bibatur, id equidem haud approbaverim et timeo, ne sanguinis aquosam indolem augendo potius noceat.

Arthritidi involutionses atque epithemata excitantia, tanquam adjumentum remediorum indicationi radicali respondentium accommodata sunt, quia acidi urici abundantius formati aliquid eliminandi spem praebent. Paroxysmos arthriticos ipsos aqua non opprimendos esse, non est, quod moneam.

Quae scrophulosis diuturniore aquae usu superatae exempla narrantur, ea dubito an non magna, ne dicam maxima ex parte ad diaetam eodem tempore strictius ac diligentius servatam referenda sint; quamvis balneorum frigidorum universalium in hoc malo satis notam utilitatem haudquaquam negem et ulceribus chronicis fistulisque

¹⁾ I. c. S. 51 u. fgg.

scrophulosis ea, quam jam supra exposui, aquae contra ulcera virtus applicandique ratio aequè conveniat; ab arthrocacis denique eodem ex fonte manantibus epithemata primum antiphlogistica, postea excitantia non videantur aliena. Tinea et crusta lactea localem aquae usum propter metastasis periculum nullo modo permittunt.

Rheumatismus.

Inter ea mala, in quibus experientia aquam frigidam praecipuis laudibus ornavit, numerandus est rheumatismus. Constant adhibendi genera in lotionibus brevibus, cum frictione intentiore loci affecti conjunctis, porro in epithematibus excitantibus involutionibusque universalibus, ut diaphoresis, quemadmodum in sede morbi, ita super totum corpus provocetur, quum, quamvis interna rheumatismi natura adhuc cognitionem nostram fugiat, tamen, aucta cutis secretionem potissimum eum solvi, observatione affatim confirmatum sit. — Siphonaria chronico tantum rheumatismo arbitror convenire, sin acutior fuerit doloresque aciores, evitanda. Ad rheumaticam indolem minuendam nihil magis facit, quam lotiones et balnea frigida frequentiora.

Syphilis et hydrargyrosis.

Tutissimum citissimumque antisiphiliticum hydrargyrum esse, hoc quidem in dubium non vocabimus. Sed quum isto medicamine simul totum corpus inimicissime afficiatur atque in eum saepe cachexiae statum redigatur, cujus vestigia per totum insequentis vitae decursum perfecte

extingui nequeant, putaverim praestare, ubi inveteratus est malum, quam ut breviori hydrargyri usui cessurum videatur, ut ad aquam strenue adhibendam ac diutius continuandam nos convertamus. Neque desunt exempla syphilitidis tum primariae, tum secundariae hac ratione vel statim initio, vel postquam hydrargyri longior usus spem frustravit, adhibita sublatae, ¹⁾ atque ipse Ricord magnam aquae utilitatem in compluribus malorum syphiliticorum generibus expertus est ²⁾. Constat autem haec methodus hydrotherapeutica in aquae potione copiosiore involutionibusque diaphoreticis; ulceribus syphiliticis externis optime conveniunt epithemata pro ulceris natura aut antiphlogistica, aut irritantia. Victus simul modicus quidem, non tamen nimis parvus erit praescribendus. — Insessus ego, si minus nocent, tamen vix prodesse putaverim.

In hydrargyrosi ad aquam tanto lubentius confugiemus, quia quod fere illi tanquam efficacissimum antidotum opponitur, jodum, in ejus, quam pellit, dyscrasiae locum facile novam substituit. Utemur autem hic prorsus eadem methodo, qua contra syphilidem, ita tamen, ut vires aegri cachexia diuturniore debilitatas nunquam obliviscamur. Ac per diaphoresin quidem hydrargyrum diutius in corpore retentum fortasse excretum iri, ideo spes est, quia in sudore hydrargyrum jam repertum fuit ³⁾.

¹⁾ V. den Wasserfreund, herausgeg. v. Schmitz. Jahrg. 1840. Bd. II. in Nr. 43 — 52.

²⁾ Schmidt's Jahrb. d. ges. Med. Bd. XXXIV. S. 189 u. 190.

³⁾ Buchner, Toxicologie. 2te Aufl. S. 539.

Cholera orientalis.

Aquae contra perniciosissimam hanc luem usum et alii haud pauci pertractarunt ¹⁾ et Priesnitzius successus optimos, dum in Silesia cholera grassabatur, se observasse affirmat. Quae applicandi rationes inprimis laudantur, prout aegri status fert, varie immutandae et conformandae, sunt capitis, pectoris et abdominis affusiones frigidae, ita quidem, ut breviores sint, sed saepius repetantur, atque post eas aegroto stragula lanæ calefacta circumjiciantur; porro involutiones aut humidae, ubi calor ardens, aut siccae in lanæ tegmenta, ubi frigus cutis praevalet; simul partium spasmodicorum correptarum frictiones humidae, clysmata denique frigida.

Venio jam ad neuroses, ac primum ad neuralgias, inter quas pertinacissimae et omnia saepe alia remedia eludentes sunt

Prosopalgia et ischias.

Hae si propriam prae se ferunt neuralgiae naturam, (nam si rheumaticam vel inflammatoriam, istis medendi methodus est conformanda) ad doloris sensum extinguendum enecandumque epithemata frigida frequenter renovata ac perseveranter continuata, nec non siphonaria plurimum valent. Praeterea vero mirum saepe in modum prodest primum lintei humidi, postea manus ipsius cum

¹⁾ Fr. Müller, die Cholera u. d. Anw. d. Kälte a. d. einfachste Schutzm. gegen dieselbe. Wien 1832.

Casper, d. Bhdlg der asiat. Cholera durch Anwend. d. Kälte. Berlin 1832.

pressione vehementiore conjuncta in locum affectum frictio; mihi certe ischiatis exemplum innotuit, ubi malum, quod medicaminibus multis laudatissimis restiterat, tandem frictioni et pressioni crebriori post tempus haudquaquam longum cessit. Epithemata excitantia in hydrotherapia recentiori commendata mihi in rheumaticam solum morborum, de quibus loquor, indolem, vel certe in hanc praecipue, cadere videntur.

Tetanus, chorea, epilepsia.

Spasmos tetanicos frigidis dorsi et humerorum superfusionibus saepius repetitis solutos auctores sunt Currie ¹⁾ alique multi. — Contra choream commendata balnea frigida (Floyer ²⁾ et alii) et immersoria (Dupuytren) licet dubitem, an hoc malum funditus tollendi vim habeant, tamen, quorum experimentum fiat, arbitror dignissima. — Sed fortasse minus etiam epilepticae indolis funditus evellendae facultas erit apud balnea frigida, a viris clarissimis haud paucis (Tissot, Hufeland, Froelich etc.) laudata atque recentius additas involutiones. Paroxysmis epilepticis ipsis oppositae superfusiones, quas jam Celsus ³⁾ ac Caelius Aurelianus, postea Currie commendarunt, et siphonaria ideo mihi non probanda videntur, quoniam hos paroxysmos nullo modo cohibendos reprimendosque esse, fere omnes consentiunt.

¹⁾ I. c. Thl. I. S. 290—94; 304.

²⁾ Psychrolusia p. 215, 377, 384.

³⁾ de medic. lib. III. cap. 23.

Sin, ubi fausti aquae effectus in illis neurosibus observantur, causam eorum internam conamur perspicere, nulla alia via patet, nisi ut propriam quandam systematis nervosi mutationem, sed quae accuratius definiri nequeat, fieri statuamus.

Tabes dorsalis.

Quemadmodum nimis saepe fiet, ut tabi dorsali mederi frustra tentemus, ita inter remedia, quae diaetae aptae vel ad sanandum fortasse morbum, vel, si majorem perfectionem assecutus fuerit, ad vitam certe viresque sustentandas addi possint, nulli alii tantum confiderim, quantum aquae. Methodus in usu ejus observanda pro stadiis erit diversa, ita ut in stadio primo s. irritationis erethismum partium genitalium initio lotionibus, postea fomentationibus frigidis frequentioribus, atque incessibus brevibus hebetare studeamus, in stadio secundo s. paralytico ad siphonaria paulatim fortiora in regionem sacralem extremitatesque, praemissis harum partium lotionibus, dirigenda transeamus, convalescentem denique aegrum balneis frigidis universalibus roboremus.

Stases abdominales, haemorrhoides, hypochondria, hysteria.

Præcipuus locus, (licet hic non minus, quam antea de tabe dorsali diximus, diaeta longe maximi sit momenti) aquae in illis quoque malis datur, quae frequentissime per annos etiam continuatum remediorum pharmaceuticorum usum frustrant, stasibus abdominalibus haemorrhoidibusque,

et quae crebro cum iis consociantur, hypochondria vel hysteria.

Indicationi in stasibus abdominalibus sese nobis offerenti, ut sanguinis in abdomine circulationi stimulus addatur, primum satisfaciet potio aquae, digestioni fere turbatae subveniendo, alvi obstructionem comitantem tollendo, fortasse denique sanguinem consistentia spissiore diluendo. Hanc lautioris potionis utilitatem jam Theden ¹⁾ agnovit, neque in aliis solum, verum etiam in seipso expertum se esse affirmat. Attamen iis, qui aquae bibendae minus adsueti sunt, caute semper videndum erit, ut sensim demum sensimque copiam ejus augeant, neque unquam modum excedant.

Praeterea vero idem sanguinis circuitum impellendi consilium inprimis adjuvabunt lintea humida expressa abdomini circumvoluta ac siccis tecta. Accedunt insessus breves atque, praesertim ubi pertinacior est alvi obstructio, clysmata frigida.

Erethismo nervorum in hypochondria et hysteria hebetando conveniunt lotiones ac balnea frigida jam ab Hippocrate et Fr. Hoffmann ²⁾ laudata, recentioribus temporibus maxime a Formey ³⁾, (qui balneis initio minus frigidis, sed longioribus, postea frigidioribus, sed brevioribus

¹⁾ Neue Bemerk. u. Erfahr. z. Bereich. d. Wundarzneikunst u. Arznelgelahrtheit. Bd. I. S. 133, 145.

²⁾ Opp. omn. tom. V. de baln. ex aqua dulci praestantissimo usu.

³⁾ Verm. medic. Schriften. Berl. 1821. S. 118 u. fgg.

ribus utitur paulatimque cum iis superfusiones frigidas atque bullas aqua frigida impletas abdomini imponendas conjungit), porro siphonaria in spinam dorsalem directa.

Spasmodum hystericorum paroxysmi ipsi saepenumero franguntur frictionibus humidis vel, si hae non sufficiunt, superfusionibus repentinis.

Illud autem vix speraverim, in mere nervosa, quae sine materie dicitur, hypochondriae hysteriaeque formam aquam tantum praestitutam, quantum ubi stases abdominales subjectae sunt.

Morbi psychici.

Restat, ut paucis verbis explicem, quomodo in psychicis morbis aqua se habeat. Quibus eorum generibus maxime accommodata esse videatur, si quaeritur, equidem monomaniam, maniam et melancholiam potissimum attulerim. Inter diversas aquam usurpandi formas potionis largae a Theden ¹⁾, sed magis etiam ab Auenbrugger (usque ad viginti per diem mensuras) commendatae ibi potissimum locum esse arbitror, ubi corporis anomaliae, in abdomine fere sitae, ad mentis statum perturbandum contulerunt. Externus aquae usus laudatur apud v. Swieten ²⁾, balnea apud Fr. Hoffmann ³⁾. Praestant effectus vehementia, in maniam tamen prae ceteris cadunt, tum paroxysmis opponenda, tum in liberis intervallis saepius repetenda, superfusiones et dejectoria, vel illa a Cesarati

¹⁾ Neue Erfahr. u. Bemerk, Bd. I., S. 133, 145.

²⁾ Comment. t. II. p. 334.

³⁾ de baln. ex aqua dulci praest. usu.


inventa balnea oscillatoria (Schwunghäder) ¹⁾ — Siphonaria in caput decidentia non rejiciam, si cautio modusque semper in iis servetur, neque ulla sanguinis versus cerebrum congestio adsit. Hoc symptoma fomentationibus frigidis crebro constanterque renovatis erit oppugnandum.


In haec igitur, quae enumeravi, mala, quemadmodum aquae usum praecipue cadere mihi videri, jam supra pronuntiavi, ita in reliquis penitus excludendum haudquaquam existimo, quum possint quidem in maximo morborum grege talia symptomata, quibus utilissime opponatur, exurgere. Neque vero equidem duco, quo tempore hydrotherapeutica methodus adhibeatur, a pharmaceutica semper omnino abstinendum; sed non raro efficacissimam se praebet hujus cum illa conjunctio.

Diaetam postremo, dum aqua usurpatur, non certo cuidam atque in omnibus aegris simili typo adstringendam, sed ad cujusque semper statum conformandam esse, non erit, quod multis verbis exponam.

¹⁾ V. de his in materiae medicae manualibus, v. c. Voigtel System d. Arzneimittellehre. Bd. II. Abthl. 1. S. 17.







inventa balnea oscilla
Siphonaria in caput deciden
dusque semper in iis s
versus cerebrum congestio
tationibus frigidis crebro
oppugnandum.

In haec igitur, quae e
aquae usum praecipue cade
nuntiavi, ita in reliquis pen
existimo, quum possint quid
talia symptomata, quibus u
Neque vero equidem duco,
methodus adhibeatur, a pha
stinendum; sed non rar
hujus cum illa conjunctio.

Diaetam postremo, du
cuidam atque in omnibus a
sed ad cujusque semper s
erit, quod multis verbis ex

1) V. de his in materiae
System d. Arzneimittellehre. B

ngbäder) 1) —
, si cautio mo-
ulla sanguinis
mptoma fomen-
renovatis erit

a, quemadmodum
jam supra pro-
im haudquaquam
morborum grege
atur, exsurgere.
ydrotherapeutica
per omnino ab-
m se praebit

atur, non certo
o adstringendam,
andam esse, non

libus, v. c. Voigtel
S. 17.

